

attinet, est fatendum, quod prima tonsura juxta sacros canones obtineat nomen *Ordinis*, atque minoribus connumeretur. arg. cit. c. *Cum contingat*, 11, de *Etate et qualitat. præficiend.* cum concordantiis: et sic nomine ordinum veniat, juxta Glossam in c. *Eos qui* §. *Ordinare. de Temporib. ordinat.* in 6. Unde, quia irregularitas impedit susceptionem ordinum, hinc ea etiam impedit receptionem primæ tonsuræ; prout tenuit Rota *In una Romana pensionis*, 3 Julii 1583, coram Seraphino, quam citat, et sequitur Bonacina tom. I, disp. 7, de *Irregularitate*, quæst. 1, punct. 1, num. 4, post Suarez, de *Censuris*, disp. 40, sect. 1, num. 11, et sect. 2, num. 2; Filliucium, tract. XIX, cap. III, num. 39; Reginaldum, pluresque alios: atque omnino certum esse, censet Jacob. Pignatellus, tom. VIII, consult. 146, n. 7, quidquid nonnulli theologorum apud citatum Bonacinam contradicant.

24. *Inferuntur corollaria.* — Insuper, quia episcopus in aliena diœcesi ordines conferens absque licentia ordinarii illius loci, ab exercitio pontificalium, et sic ordinati ab executione ordinum, sunt ipso jure suspensi; prout statuit concilium Tridentinum, sess. 6, cap. v, de *Reform.* hanc pœnam suspensionis etiam incurri ob faliter collatam, et receptam primam tonsuram, censet Azorius part. II, lib. III, cap. XLIX, quæst. 5; Lessius lib. II, de *Just. et jur.* cap. XLIV, dubit. 49, n. 91; Bonacina, dist. 8, de *Sacramentis*, quæst. un., punct. 4, num. 27; Barbosa, part. II, de *Offic. et potest. episcop.*, allegat. 6, n. 13, citans alios; quamvis non paucos etiam alleget in oppositum. Atque servata proportione idem erit dicendum in similibus.

25. *Id ipsum supponit Rota Romana. Quid tenendum pro foro externo?* — Accedit stylus Curie Romanæ. Nam, quod Rota Romana in judicando procedat ex suppositione, quod prima tonsura sit ordo, notat Jacobus Pignatellus, tom. II, consultat. 66, numer. 11, allegans decisionem Rotæ *In una Ferrariensis pensionis*, 21 Martii, coram Virili, numer. 3, ubi testatur de stylo ejusdem Curie. Navarrus, consil. 11, num. 1 et 2, de *Temporib. ordinat.* et alii. Atque hæc sententia pro foro externo videtur retinenda: quamvis ante litem motam, et pro foro conscientie, theologorum sententia probabiliter sustineri valeat, donec aliud a Sede apostolica decidatur. Juvat prolixiorem hanc questionem concludere illis verbis divi Apostoli, *Rom. cap.*

XIV, 5. *Unusquisque in suo sensu abundet.*

26. *Episcopatus est ordo proprie dictus.* — Queritur III. Utrum episcopatus sit ordo proprie dictus? Resp. I. Episcopatus est ordo proprie dictus; commode tamen reducitur ad ordinem sacerdotii, juxta sententiam theologorum, septem dumtaxat ordines juxta septiformem gratiam Spiritus sancti admittentium: quamvis secundum mentem canonistarum, atque ad similitudinem cœlestis hierarchie novem ordines angelorum habentis, etiam a simplici sacerdotio sejungi, et pro nono ordine collocari queat. Ita in re communis. Et quidem prior pars, asserens, quod episcopatus sit ordo proprie dictus, de facto est certa, adeo ut oppositum tenere sit periculosum. Siquidem concilium Tridentinum, sess. 23, cap. IV, episcopatum expresse inter ordines connumerat, dum ait: « Docet insuper sacrosancta synodus, in ordinatione episcoporum, sacerdotum, et cæterorum ordinum, » etc. Accedit ratio: quia episcopo competit quædam specialis potestas ordinis, in quantum episcopo; nimirum potestas conferendi sacramentum Confirmationis, et Ordinis: simulque consecratio episcopi amplius tolli, aut dicta potestas valide conficiendi illa sacramenta, ulterius auferri non potest. Et per hoc etiam probatur ultima pars, quæ declarat mentem canonistarum.

27. *Reducitur juxta theologos ad ordinem sacerdotii.* — Altera vero pars ex eo suadet: quia, licet episcopatus sit ordo a simplici sacerdotio distinctus, ut definit concil. Trident. sess. 23, can. 7, tamen et ipse sub generali ratione sacerdotii comprehenditur, sumendo nempe sacerdotium ample, pro potestate non solum consecrandi, sed etiam valide conferendi omnia alia sacramenta, quæ requirunt ministrum consecratum. Quo modo sumendo sacerdotium, istud postea subdividitur in presbyteratum, cui competit administratio Eucharistie, Pœnitentie, ac Extreme Unctionis; et in episcopatum, cui insuper convenit potestas conferendi jure ordinario Confirmationem, et Ordinem. Hinc sanctus Anacletus Papa, in Epist. 3, cap. 1, ait ordinem sacerdotum bipartitum esse, scilicet episcoporum et presbyterorum.

28. *Ordo episcoporum quadripartitus est; et quomodo?* — Et si petas, quomodo intelligendus sit can. *Cleros.* dist. 21, ubi dicitur: « Ordo episcoporum quadripartitus est, id est, in patriarchis, archiepiscopis, metropolitanis, et episcopis? » Resp. Istud esse in-

telligendum de gradu episcopali, utpote qui multiplex est quoad dignitatem, amphoremque jurisdictionem, juxta quam datur quidam ordo, sive gradus inter ipsosmet episcopos: non autem de ordine proprie dicto, seu ut sacramentum est. Quia episcopalis ordo unus tantum est; ut pariter constat ex sancto Anacleto Papa, cit. Epist. 3, cap. III, vers. *Episcoporum vero*, et notat Barbosa, in cit. can. *Cleros.* dist. 21, n. 3, post Turrecrematam, ibid. num. 14, et alios.

29. *Archiepiscopus, an differat a metropolitano?* — Dum autem ibidem beatus Isidorus, qui est auctor cit. can. *Cleros*, supponit, archiepiscopum differre a metropolitano, ac isto maiorem existere, ibi: « Archiepiscopus, metropolitanis. » Cui sententiæ etiam favet Justinianus Imperator, in Auth. *de Privilegiis archiepisc.* Collat. 9, circa princip. ibi: « Non solum metropolitano, sed etiam archiepiscopus fiat. » Dicendum est cum Glossa in cit. can. *Cleros.* vers. *Archiepiscopus*, quod hoc nomine ibidem intelligantur primates, seu alii patriarchæ minus principales; ut Aquileiensis, de quo habetur can. *Nunc vero*, 11, q. 3. Bituricensis, de quo can. *Conquestus est*, 11, q. 3. Grandensis, de quo in superscriptione can. *Erubescant.* dist. 32. Cantuariensis, de quo eadem Glossa; et Pisanus, quem addit Glossa marginalis in can. ult. dist. 22. Vel, si hæc responsio non placeat, dicendum erit, quod doctrina Isidori, veluti doctoris privati, in hoc puncto sit relinquenda, eique præferenda, clara decisio juris: nam, quod metropolitano et archiepiscopo sumantur pro eodem, habetur in c. *Referente*, 7, de *Præbendis*. ibi: « Ad metropolitanum, videlicet Rhemensem archiepiscopum appellavit. » Siquidem dictio illa, *videlicet*, est declaratoria ejusdem rei, personæ, c. *Transmissæ* 4, de *eo, qui cognovit consanguin.* Barbosa, loc. cit., n. 6, cum pluribus aliis.

§ II.

DE TEMPORIBUS FACIENDARUM ORDINATIONUM.

30. *Prima tonsura, quando, et ubi conferri possit?* — Queritur I. Quo tempore singuli ordines sint conferendi? Resp. I. Prima tonsura quovis die, hora, et loco honesto, etiam extra Missarum solemnias, conferri potest. Ita *Pontificale Romanum*, tit. de *Clerico faciend.* Neque alicubi in jure habetur quid

aliud de ea constitutum, cum nec sit ordo proprie dictus.

31. *Et quando quatuor ordines minores?* — Resp. II. Ordines minores possunt dari non solum in generalibus ordinationibus, sed etiam singulis Dominicis, atque festivis diebus, imo et extra Missarum solemnias, sed in mane tantam. Ita rursus *Pontificale Romanum*, tit. de *Minoribus Ordinibus*. Concordat c. *De eo*, h. t. 3, ibi: « Licetum est episcopis, dominicis, aut aliis festivis diebus, unum aut duo ad minores ordines promovere. » Ubi Glossa, vers. *Aut duo*, recte notat, etiam plures posse ordinari, dummodo non tot ordinentur, ut videatur esse generalis ordinatio. Quid autem nomine festivi diei, quæ ordines minores conferri possunt, intelligatur, commodius infra n. 52, 53, et seqq. dicetur.

32. *Hi in quibusdam Ecclesiis conferuntur feria sexta quatuor temporum.* — Notat tamen Layman in cit. c. *De eo*, h. t. quod quatuor minores ordines in quibusdam Ecclesiis conferantur non in sabbato, sed per quamdam anticipationem præcedente feria sexta, vel quarta: quæ consuetudo (inquit) reprehendi non potest. Neque necesse est, ut conferens sit jejunos; prout idem cum aliis observat. Quinimo Gobat, tract. VIII, *Thesi f. Experiment.* num. 452, testatur, a Germanis episcopis conferri ordines minores feria sexta quatuor Temporum, sed Constantiæ (ait) mane illius ferie sextæ: ab episcopis Hispanis autem vespere illius ferie sextæ, atque hoc concedere consuetudinem ubique receptam, inquit Fagnanus, in cit. c. *De eo*, n. 41, h. t. post Henriquez in *Summa*, lib. X, cap. XII, § 2, licet subjungat, præstare, ut dicta consuetudo tollatur. Certe olim collationem minorum ordinum non fuisse alligatam temporæ determinato, liquet ex can. *Quando*, dist. 75, ibi: « Quando, et ubi libitum fuerit, usque ad subdiaconatus officium clerici ordinentur. »

33. *Ordines majores, quo tempore sint conferendi?* — Resp. III. Majores ordines non nisi in quatuor Temporibus, aut Sabbato sancto, vel sabbato ante Dominicam Passionis, ab ullo episcopo, præter Romanum Pontificem licite conferuntur. Ita habetur in cit. c. *De eo*, 3, h. t. et can. ult. dist. 75. Et merito hisce temporibus, quæ specialius orationi, et jejuniis consecrata esse noscuntur, generales ordinationes fieri præcipiuntur, ut communibus votis sancta mater Ec-

clesia inter alia cœlestia dona, dignos quoque ministros altaris a Deo obtinere mereatur.

34. *Episcopatus confertur die dominico, vel natalitio Apostolorum.* — Dices : in can. *Quod die*, dist. 75, dicitur, sacerdotes die Dominico esse ordinandos, ibi : « Quod die Dominico ordinationes sacerdotum celebrentur, non tantum ex consuetudine, sed etiam ex Apostolica novimus venire doctrina; » ergo. Resp. neg. consequent. Nam ut bene explicat, et probat Glossa, ibidem ly « Ordinationes sacerdotum » idem est, ac « episcoporum consecrationes. » Quia episcopatus confertur die Dominico, vel natalitio Apostolorum, nisi Summus Pontifex aliud specialiter indulerit, can. 1, dist. 75, et habet *Pontificale Romanum*, tit. *de Consecratione Electi in episcopum*. Cæteri vero ordines majores non nisi in prædictis Sabbatis conferuntur.

35. *Ex privilegio papali potest quis ordinari extra tempora.* — Excipitur tamen casus ille, quo quis a Summo Pontifice habet speciale privilegium, aut dispensationem, vi cujus vel possit ordinari, vel aliis ordines conferre, extra prædicta tempora. Nam, sicut Papa potest clericos extra dictos dies ordinare, ita et aliis hanc potestatem conferre; cum secundum plenitudinem potestatis, de jure possit supra jus dispensare, c. *Præposuit*, 4, *de Concess. Præbend.* Atque ideo notanter in conclusione additum fuit ly « Præter Romanum Pontificem. »

36. *Potest pars ordinationis differri in sequentem dominicam, continuato tamen jejuniis.* — Excipitur insuper casus ille, quo episcopus sive ob multitudinem ordinandorum, sive ob infirmitatem, quæ invasit ordinatorem, vel ordinandum, sive ex alia rationabili causa, partem ordinationis differat in sequentem diem Dominicum, « eamque mane, ipso Dominico die, continuato jejuniis Sabbati celebret, » ut loquitur can. *Quod a Patribus*, dist. 75. « Nam tunc propter continuationem jejunii, fictione canonica — Vespera cum mane ad eundem diem pertinere dicitur; » prout notatur in c. *Litteras*, 13, h. t. et concordat illud *Genes.* cap. 1, 5. *Et factum est vespere, et mane, dies unus.* Debet autem tunc jejuniis continuari tam ab episcopo ordinante, quam ab ordinandis, juxta Glossam communiter receptam in cit. c. *Quod a patribus*, 7. *Continuato.* Occasione cujus,

37. *An in tali casu requiratur jejuniis naturale?* — Quæritur II. An in casu, quo epi-

scopus continuato jejuniis perficit ordinationem die Dominico, juxta proxime dicta, oporteat jejuniis illud esse naturale, vel sufficiat ecclesiasticum? Resp. Circa hujus dubii resolutionem variant doctores. Et quidem Abbas Panormit. in c. *Litteras*, n. 4, h. t. et Layman lib. V, tract. IX, cap. VIII, n. 5. Pirhing, h. t. n. 85 et quidam alii, censent esse observandum jejuniis naturale, adeo, ut ne quidem liceat episcopo ablutionem sumere in Missa Sabbati. Et hujus sententiæ ratio videtur esse : quia hoc jejuniis a doctoribus solet appellari magnum, atque periculosum, juxta dicendum. 39, sicque censetur esse non mere ecclesiasticum, sed etiam naturale.

38. *Vel sufficiat ecclesiasticum.* — Alii econtra arbitrantur, sufficere jejuniis ecclesiasticum, quale per sumptionem ablutionis non solvitur; ut Sanchez lib. VII, consil. *Moral.* 1, dubit. 51, 5. Sylvester 7. *Ordo*, 2, quæst. 6. Jordanus, et alii, quos refert, ac sequitur Gobat, pract. 8. *Theolog. exprim.* n. 355, seqq. Et hæc sententia videtur probabilior : tum quia Ecclesia non solet exigere aliud jejuniis, quam ecclesiasticum, nisi ubi specialiter id exprimit : prout istud exprimitur de sumpturis sacrosanctæ Eucharistiæ sacramentum, can. *Liquido. de Consecrat.* dist. 2, junctis rubricis *Missalis Romani*, cit. *de Defectibus dispositionis corporis*. Tum quia ipsemet Abbas loc. cit. n. 3, et alii censent, ordinationem continuato jejuniis posse differri in diem Dominicum, etiam ob infirmitatem ordinantis, vel ordinandi, quæ ipsum invasit : quis autem dicat, subito infirmatum tanto tempore cogi ad servandum jejuniis naturale, et abstinendum ab omni confortatione cibi, potus ac medicinæ?

39. *Liceatque tunc sumere prandium, et collationem vespertinam?* — Dices : Ergo in tali casu poterit episcopus ordinans, ipseque ordinandus, Sabbato circa meridiem sumere prandium, et noctu collationem : nam hoc permittit jejuniis ecclesiasticum. Resp. neg. sequel. Quia enim per prandium, sive justam refectionem, solvitur jejuniis ecclesiasticum juxta phrasin summistarum : hinc in tali casu Gobat, loc. cit. num. 356, haud immerito tenet, abstinendum esse a prandio, seu una justa refectione, quamvis possit accipi purificatio in Missa, et aliqua refocillatio per diem, ut puta collatio vespertina. Id ipsum suadet ex eo : quia, licet Sanchez,

loc. cit. n. 4, censeat, sufficere jejuniis ecclesiasticum, ipse nihilominus hoc jejuniis appellat magnum; et Lauretus de Franchis in *Controversiis inter episcopos et regulares*, part. I, n. 294, post Innocentium, Hostiensem, et alios in cit. c. *Litteras*, h. t. illud vocat *Indiscretum, et maxime periculosum*. Atqui tale non foret, si liceret sumere justum prandium; nam tale jejuniis servatur, et continuatur in diem Dominicum, communiter a cæteris fidelibus, ac præsertim ab illis, qui tunc sacrosanctæ Eucharistiæ sacramentum sumere intendunt. Accedit, quod non sine mysterio videatur in cit. c. *Litteras*, h. t. trina vice repetitum ly « continuato jejuniis. » Potius quippe credendum videtur, id factum esse ad ostendendam magnitudinem hujus jejunii, saltem in hoc consistentem, quod sit abstinendum a prandio, seu una justa refectione.

40. *Fratres minores aliique religiosi communicationem privilegiorum habentes, an possint ordinari extra tempora a jure statuta.* Refertur sententia negativa cum rationibus suis. — Quæritur III. Utrum fratres minores, aliique regulares communicationem privilegiorum habentes, de facto possint ordinari extra tempora a jure statuta? Resp. in resolutione hujus quæstionis variare doctores. Et quidem sententiam negativam ex professo tradit Ludovic. Miranda in *Manuali prælatorum*, tom. I, quæst. 38, art. 4. Rationem dat : quia concilium Tridentinum, sess. 23, cap. VIII, *de Reformatione*, expresse decrevit, quod « Ordinationes sacrorum ordinum, statutis a jure temporibus — publice celebrentur. » Quibus verbis quamvis id non dicatur, neque apponatur clausula revocatoria privilegiorum, statim revocari videntur privilegia olim in contrarium concessa. Et hoc maxime ex eo, quod idem concilium, sess. 25, cap. XXII, *de Regularibus*, quasi epilogo omnia, quæ antea circa regulares decreta fuerant, concludit, dicens : « Hæc omnia et singula in superioribus decretis contenta, observari sancta synodus præcipit omnibus cœnobiis, ac monasteriis — cujuscunque ordinis mendicantium, vel non mendicantium, vel aliorum regularium monachorum, aut canonicorum quorumcumque; non obstantibus eorum omnium, et singulorum privilegiis, sub quibuscumque formulis verborum conceptis » etc. Addit Miranda constitutionem Sixti V, *Sanctum et salutare* (ac refertur tom. II, *Bullarii Romani*, constit. 91, dicti Pontificis), ubi

is sub pœna suspensionis, et aliis gravioribus prohibet etiam regulares quoscunque ordinari extra tempora a jure statuta.

41. *Affirmativam sententiam tenent plurimi doctores.* — Econtra sententiam affirmativam seu quod ex clementissima, vereque paterna concessione plurimum Summorum Pontificum, possint regulares, ut puta Fratres Minores, etiam de facto ordinari extra tempora a jure statuta, dominicis, aut aliis festis diebus, continuis vel interpolatis, tenet Emmanuel Rodericus, tom. III, *Quæst. regular.* quæst. 23, art. 5, Portel, in *dubiis Regularium*, 7. *Ordo*, n. 4; Hyacinthus Donatus, in *Praxi rerum regularium*, tom. III, tract. III, qu. 26; Barbosa, part. II, *de Offic. et potest. episc.* allegat. 17, n. 6, et lib. I, *Jur. Ecclesiast. univ.* cap. XXXIII, n. 179, et seqq.; Diana part. III, tract. II, resol. 31, et part. V, tract. XIII, resol. 57, ubi asserit, quod plures e sua religione fuerint a multis episcopis ad ordines extra tempora admissi; Herincx, part. IV, *Summæ theologiæ*, disp. 10, *de Sacramento ordinis*, n. 88, allegans insuper Præpositum, et Aversam, quæst. 3, sect. 9, quorum posterior testatur, illud pro sua religione sæpius in pluribus diœcesibus, et in Romana ipsa Urbe servatum; Sannig, h. t. cap. v, n. 2; Bassæus capucinus, tom. I, *Florum theolog.* 7. *Ordo*, 4, num. 5, allegantes insuper pro hac sententia Moneta *de Commutat.* ult. volunt. cap. x; Hier. Rodericum in *Compendio quæst. regular.* resol. 106, n. 7; Villalobum in *Summa*, part. I, tract. XI, diff. 13, n. 7; Marchinum *de Sacram. ordin.* part. I, cap. VII, n. 1; Homobonum *de Bonis de Examine eccles.* tract. II, cap. I, q. 13, et plures alios.

42. *Sed cum discrimine.* — Verum et hi doctores non undequaque inter se conveniunt. Siquidem Barbosa, cit. lib. I, *Jur. eccles. univ.* cap. XXXIII, n. 182, post Aloys. Riccinum in decis. curiæ archiep. Neapol. decis. 93, n. 6, part. IV; Hier. Rodericum, cit. resol. 106, et Lezanam in *Summa Quæst. regular.* tom. I, cap. XIV, n. 19, etsi concesserit regulares posse ordinari ab episcopo sacris ordinibus extra tempora, addit tamen istud fieri non posse virtute privilegiorum a Summis Pontificibus ante concilium Tridentinum concessorum : idque videtur negasse propter rationes proxime ex Miranda relatas. At vero Emmanuel Rodericus, tom. I, *Quæst. regular.* quæst. 8, art. VII, et cit. tom. III, quæst. 23, art. V, Diana, Donatus, Sannig, Herincx ubi supra, pluresque alii ab his ci-